



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Epistola I. Damasi Papae I. Ad Pavlinvm Antiochenvm Episcopvm. De fide
& formula libelli, cuiusmodi, qui ab haeresi reuertuntur, debeant profiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ÆPISTOLA I. DAMASI PAPÆ I.
AD PAVLINVM^b ANTIOCHENVM
EPISCOPVM.

* THE-
SALON-
GENSEM

De fide & formula libelli, cuiusmodi, qui ab hæresi reuertuntur, debeant profiteri.

- I. *Quod integrum hominem suscepit Christus sine peccato.* II. *Quod vnus sit Christus, ante secula ex patre natus, & in tempore ex virgine editus.*

Dilectissimo fratri Paulino, Damasus.

PER filium meum Vitalem ad te rescripta direxeram, tuæ voluntati & tuo iudicio omnia derelinquens, & per Petronium presbyterum breuiter indicaueram me in articulo iam profectiois eius aliqua ex parte commotum. Vnde ne aut tibi scrupulus resideret, & volentes forsitan ecclesiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem nostram misimus, non tam tibi, qui eius fidei communionem sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi, id est, nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater.

I.

Quapropter, si supradictus filius meus Vitalis, & qui cum eo sunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere, quæ apud Nicæam pia patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæresis eradicanda est, quæ postea in oriente dicitur pullulasse, id est, confitendus ipsa sapientia, sermo, filius Dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adam, & (vt expressius dicam) totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanum corpus suscepisse, non statim ei & humanas vitiorum adiungimus passiones: ita & dicentes eum suscepisse & hominis animam & sensum, non statim dicimus & cogitationum eum humanarum subiacuisse peccato.

II.

Si quis autem dixerit, Verbum pro humano sensu in Domini carne versatum, hunc catholica ecclesia anathe-

matizat, necnon & eos qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante incarnationem, & alium post assumptionem carnis ex virgine; & non eundem Dei filium & ante & postea confitentur. Quicumque huic epistolæ subscribere voluerit, ita tamen, ut in ecclesiasticos Canones, quos optime nosti, & in Nicænam fidem ante subscripserit, hunc habebis absque aliqua ambiguitate suscipere. Non quod hæc ipsa, quæ nos scribimus, non potueris conuertentium susceptioni proponere, sed quo tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum.

NOTÆ.

^a *Epistola.*] Hæc epistola scripta fuit hac occasione: Vitalis Antiochiæ agens, apud Damasum de Apollinaristarum hæresi accusatus, ad fidei professionem citabatur: qui dum comparuisset, editoque fidei catholicæ libello se iniuste hæreseos accusatum exclamasset, a Damaso pontifice sic acceptus fuit, ut eius causam per hæc literas Paulino Antiocheno episcopo cognoscendam delegaret, libellumque ad eundem Paulinum daret, cui Vitalis subscripsit. His literis acceptis ille Antiochiam profectus, oblatam ibidem a Damaso catholicæ fidei confessionem subscribendo approbavit, atque in Christo sicut carnem humanam, ita mentem fuisse dolose est confessus. Cum itaque ille diuinitatem loco mentis fuisse, tacite & callide significaret; patres vero eum de mente, humana scilicet anima, quod verba illius proprie accepta sonabant, locutum fuisse putassent, occultum & ingenio vafro hæresiarcham in communionem catholicam receperunt: detecta autem hac fraude, merito pontificis & Romani Concilii sententia damnatus, attestantibus Gregorio Nazianzeno & Elia Cretensi, ab ecclesia proscriptus fuit. Vide notas Concilii Romani III. sub Damaso infra; Baronium anno 373. num. 2. & 6.

Occasio
epistolæ
quæ.

Vitalis hæ-
resiarcha
dolose pali-
nodia can-
tat.

^b *Antiochenum.*] Anteriores editiones in margine pro *Antiocheno* habuerunt *Thessalonicensem*: qua auctoritate id factum fuerit, non video. Accidit fortasse, ut aliquis imprudens imitatus falsam & dolosam illam inscriptionem epistolæ synodalis Concilii Romani III. quæ apud Theodoretum extat, hoc modo: *Confessio fidei, quam Damasus papa misit ad Paulinum Thessalonice vrbis in Macedonia*; pro *Paulino Antiocheno*, *Paulinum Thessalonicensem* episcopum posuerit. Vide notas prædictæ epistolæ synod. Baron. anno 378. num. 41.

Marginalis
nota quæ-
dam huius
epistolæ vi-
uosa.